



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)

✽. TO. *Domine saluum fac Regem,
& exaudi nos in die qua invocaveri-
mus te.*

Conclusio jungit finem cum princi-
pio Psalmi: saluum fac Regem de tribu-
latione suâ, item & nos in die tribulatio-
nis, in quâ non alium, quàm Te invo-
cabimus. Potest hic Psalmus recitari,
dum Christiani Principes arma movent
contra Infidèles.

PSALMUS XX.

Titulus & Argumentum: *In finem Psalmus David.*

Psalmus hic connectitur cum præce-
dente: gratias agit, quòd Deus Christum
Regem in prælio suo protexerit, exalta-
verit, & coronaverit.

✽. I. *Domine in virtute tua lætabi-
tur Rex, & super salutare tuum
exultabit vehementer.*

Post adeptam Victoriâ Christum læ-
rabitur ob potentiam tuam, quâ hostes de-

I

vicit,



vicit, & de salute illi præstitâ voce etiam
exultabit vehementer.

✠. 2. *Desiderium cordis ejus tribuisti
ei, & voluntate labiorum ejus non
fraudasti eum.*

Dedisti Christo, quod corde desi-
deraverat, & labiis expetiverat.

✠. 3. *Quoniam prævenisti eum in
benedictionibus dulcedinis, posuisti
in capite ejus coronam de lapide pre-
tioso.*

*Dulcedinis, hebraicè, & græcè bo-
nitatis.* Magna fuit Christo lætandi cau-
sa, non solum quod perira acceperit; sed
etiam quod ei maxima dona dedisti, an-
tequam peteret, ut sunt conceptio de Spi-
ritu S., unio hypostatica, infusio scien-
tiarum, & virtutum; Visio Dei &c. *Posuisti* &c., fecisti Regem, & Sacerdotem:
utriusque enim insigne est corona aurea.

✠. 4. *Vitam petiit à te, & tribuisti
ei longitudinem dierum in sæculum,
& in sæculum sæculi.*

Bene-



Beneficia superiora praeuentus accepit; & corporis gloriam, & immortalitatem, seu vitam sempiternam petiit, & obtinuit.

¶ 5. *Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam, & magnum decorem impones super eum.*

Non solum vitam aeternam dedit ei Deus; sed etiam exaltavit eum in salute, qua illum salvum fecit, dando ei nomen super omne nomen, immenso honore eum exornando pro spinea corona.

¶ 6. *Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi, laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*

Post exaltationem ad dexteram, & nomen super omne nomen, facies, ut omnes, Caelestes, terrestres, & inferni ei benedicant, & propter omnia illa bona (hactenus dicta) semper coram Te laetabitur.

¶ 7. *Quoniam Rex sperat in Domino, & in misericordia Altissimi non commovebitur.*



Bona jam dicta erunt omnino firma,
& æterna, quia confidit in potentiâ, &
bonitate infinitâ Dei, cui omnia subsunt.

Ÿ. 8. *Inveniatur manus tua omnibus
inimicis tuis: dextera tua inveniatur
omnes qui te oderunt.*

Probat non commovendum Chri-
stum, nec regnum ejus, quia inimici ejus
omnes peribunt. Videtur alloqui Chri-
stum, non Patrem, quia non hunc, sed
illum persecutores propriè oderunt. *In-
veniatur*, h. e. inveniatur dextera tua su-
per omnes inimicos, ut eos videlicet
punias.

Ÿ. 9. *Pones eos ut clibanum ignis in
tempore vultus tui, Dominus in
ira sua conturbabit eos.*

Describit pœnam inimicorum. Fa-
cies inimicos tuos undique æstuarè, mo-
re clibani ardentis, in die iræ tuæ, quæ
in ultimo judicio manifestabitur. Idem
repetit in tertiâ personâ, quasi dicat: ve-
rè dixi; *pones eos* &c., & tunc ad impe-
rium Christi exturbabuntur à facie ejus
in gehennam.

Ÿ. 10.



✠. 10. *Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum.*

Non solùm inimicos tuos, sed fructum eorum, h. e. filios, posteros de terrâ eliminabis, & à filiis hominum perdes, ut adeò nullus unquam Christo molestiam inferre possit.

✠. 11. *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.*

Iuste puniet eos, quia mala pænæ, ut contumelias, vulnera, mortem ipsam in Christum, in quo nulla fuit culpa, iniquè detorserunt: mala voluntas fuit in illis, perdendi Christum, & ejus regnum; sed frustra, quia Deus mala omnia convertit in bonum ipsius Christi, & fidelium fervorum ejus.

✠. 12. *Quoniam pones eos dorsum, in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.*

Ecce summam impiorum calamitatem. Pones &c., facies, ut nihil sint,

nisi dorsum, pars videlicet flagellis expo-
sita; ut sic toti flagellentur. Diriges vul-
tum eorum ad considerandos electos tuos,
quos tibi reliquisti.

*Ps. 133. Exaltare Domine in virtute
tuâ, cantabimus, & psallemus vir-
tutes tuas.*

Concludit acclamando Christo Regi.
Qui aliquando apparuisti humilis, & ve-
lut infirmus crucifigi te passus es, jam po-
tentiâ tuâ, devictis hostibus, & in ge-
hennam detrusis, exaltare usque ad sum-
mum Cælum; nos interim electi tui can-
tabimus voce, & instrumentis musicis
tuam potentiam, ut tecum aliquando sal-
vemur.

PSALMUS XXI.

*Titulus: In finem, pro susceptione matu-
tina, Psalmus David.*

*Argumentum est Christi passio, &
resurrectio. quæ facta est tempore matutino.*

*Ps. I. Deus Deus meus, respice in me,
quare*